Szembek

S2. XVIII
Nr 11 f

ROSÆ GRATÆ
SEU
CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

In Spinoso Sacræ Theologiæ Roseto propagatæ,
Ad invictam propugnationem sui coadunatæ,
ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

D. ALEXANDRO CASIMIRO
COMITI IN SLUPOW
SZEMBEK,
SUPREMO REGNI POLONIÆ
DAPIFERO
Becensi & Radomscensi
CAPITANEO,

Jucundissimo amæni veris tempore, honorifica veneratione publica,

A

F.P. FRANCISCO BORZYKOWSKI,

Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI Observantium, Lectore, bis Jubilato & Actuali S. Theologiæ Professore, Almæ Provinciæ Minoris Poloniæ ac M. D. Lithvaniæ ExMinistro & Custode, totoq; Studio Theologico Generali Cracovienſi animô libentissimô,

DEDICATÆ.

Annô, prodeuntis de Stirpe Iessea Nazarai Floris 1726.
Die Mensis Maij.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS Collegij Majoris.

T. 13 p. 286
F. XVII 2902

IN ARMA
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
SZEMBECIANÆ



Quàm celeri niſu tendant ad ſumma CAPELLÆ,
Quàm recreent cunctos ſemper odore ROSÆ,
Omnibus id monſtrant, tùm Mitræ Pontificales,
Tùmq; Senatorum, non trivialis Honor.
Has ornant Faſces nitidi, Celſæq; Curules,
His utinam Regni Clara Corona micet.
Id vovet obſtrictus benefactîs, Ordo Minorum,
His ARMIS pateat, Regia Magna DEI.

ILLVSTRISSIME
AC
EXCELLENTISSIME
REGNI POLONIARUM
DAPIFER.



INter eximia triumphorum decora, purpureas vernare ſibi Roſas, noſtra Scotiſtica Pallas arbitratur, illud lucidioris Phæbi adepta beneficium, quô non adverſantium rigorem Aqvilonum, qui ſuam deprædetur Heſperiam, ſed faventium placidam Eteſiarum

experiatur clementiã, quæ odoratis floribus hortũ ipſius, Alcinoi rure cultiorem, gemmeis honoribus, faciat gloriari Quidni arridente, gratiſſimæ Chloridi, amæno Vere; ſvaveolentes Pallas noſtra, ex acutis difficultatum Theologicarum ſenticetis, colligeret Roſas, publica veneratione Magno TUO NOMINI dedicatas, adveniente, nec intempeſto, nec intempeſtivo, jucundi Florilegij tempore, quô pretioſus Gentilitiarũ TUARUM Ternio ROSARVM, illis exhibet Ver jucundum: Extra omne paradoxum eſt, manſvetiorum Camænarum, rigidiorisq; Gradivi nexũ, in Illuſtriſſima SZEMBECIORVM PROSAPIA, non uno, ſed pluribus ſæculis perennare, Præcelſamq; ILLORVM DOMVM, Romanô auguſtius Pantheon eſſe, Divinos Heroum vultus, virtute Pharraſium Policletumq; agente, nobili cælatura meritorum ſculptos, & advivum expreſſos, repræſentans. Cùm eruditionis, ſimul & fortitudinis, Domus iſta, ſit Paleſtra, in qua, per utrumq; ſtadium, Minervæ, atq; Martis, invictiſſimi Athletæ, ad honorum bravium decurrentes, libro & ferro, robore atq; conſilio,

aras

âras & focos Patriæ, immortalemq; magni Nominis famam noverunt optimè propugnare. Ab hac igitur Præcelsa DOMO, purpureis ROSARUM splendoribus refulgente, firmissimum Theologicis Rosis nostris præsidium expetendum,

Testatur Historica fides, feliciſſimum Illũ Belli Pacisq; Moderatorẽ, innumeris armorum & animornm Victorijs & triumphis, nunquàm satis laudandum Principem, qui solus, depulsa barbarie, fundatisq; sumptu magnifico, in Orbe Christiano Lyceis, Literatorumq; Collegijs, Alcides Gallicanus appellatur, Orbis inculti, agrestiumq; populorum Reformator, Augustorum corona Imperatorum nominatur, CAROLVM nempe Magnũ, Anno Christi 724. ex PIPINO FRANCORVM in Gallia Rege, ac BERTHARDA Imperatoris HERACLIj Filia, natùm, basilico probasse calculo, magnanimos Heróès, in Alemania SZEMBECIOS, qui cum sublimi mente, Vires infractas conjunxerunt suamq; dexterã, simul & rationem, ad reportandas de Hoste victorias, & capessendam triumphorum messem, extenderunt, eximiamq; to-

ti Romano Imperio gloriam pepererunt. Ab Illo namq; Imperatore Augusto, primus Præcelsi Sangvinis SZEMBECIANI Proauctor, GERALCVS à Schonbegk inter laureas saxonicas, Aquisgrani, ROSAS, suo sangvine tinctas, pro suæ Nobilitatis Armis, insigniq; Tessera consecutus, felicissimam sui ROSETI plantationem propagavit & usq; ad Imperatoris HENRICI VII. tempora, dilatavit. HENRICUS VII. suum cognominem HENRICUM SZEMBEK, faustissimum virtutis eximiæ præcelsiq; Hæredem sangvinis, cum ejusdem Prædecessoribus, Atavis, Proavis, atq; Avis, Militaribus Armis ab antiquo insignitum ac de speciali munificentia Romanorum Imperatorũ, ante quingentos annos, dotatum, & potissimum contra RVPRECTVM Apuliæ Regem, pro Imperio dilatando, Electoq; HENRICO Cæsare coronando, strænuè decertantẽ. Suo Diplomate publico declaravit. Et meritò, Idem namq; postea HENRICVS SZEMBEK, in expeditione Gallica, Galeatorum Præfectus militum, negotijs Bellonæ deditus, sangvinem atq; vitam, litare pro Imperio, inter prima vota re-

polu-

posuit, seq; in exemplum alijs, Illum Heroem propoſuit, quem nulla tacebit ætas, imô teſtis veritatis Hiſtoria, Heroici ejus animi buccinabit documenta, publico invictæ fortitudinis exemplo, ad Creſſiacum, demonſtrata. Et ſi enim triumphalium laurearum onuſtus pondere, ibidem occubuerit, Romani tamen culmen Imperij, ſublimiùs exaltavit. Immo felicius tanti Herois buſtum fuit, ex quo novus ad prælia Phænicienſis FRIDERICVS SZEMBEK prodijt, cui virtus innata, concentratiq; favores Principum, tantum applauſum præbuerunt, ut Romanorũ Imperator Auguſtus, CAROLUS IV. Æſtimator meritorũ æquiſſimus, amplioribus ex theſauro ſuo ſtipendijs labores ejus bellicos, præmiaret. Inde copioſior immortalis gloriæ Aquæ ductus longè latèq; in SZEMBECIANAS ROSAS, derivatus, novis dexteritatis vigoribus, meritorum incrementis, Honorum auctoramentis excreſcens, per varias Europæ Provincias, Illarum fulgentem Purpuram dilatavit.

Inclita namq; SZEMBECIORVM Proſapia, longo cenſita Sangvine, Avitæ

Virtutis, & Excellentiæ compendium quoddam, in Viro eximio PETRO SZEMBEK demonſtravit. Hânc enim illibato candore ſervata eximia erga Principes fides, & Auguſti Imperatoris MAXIMILIANI I. à præſentiſſimo imminentis fati periculo liberata vita, ſeræ poſteritati, maximè commendavit. Solemnes Imperator Ille, in Comitatu Tirolenſi. Venationis Damarum & Ibicum ludos celebravit, dùm inſolentes humanæ vitæ ſocij caſus, ſummis etiam infeſti nominibus, ſerium obtrudentes negotium, funeſtam inexorabili Libitinæ pararent prædam, his tamen caſibus, velut marpeſiam cautem, ſeſe oppoſuit Heros fortiſſimus PETRVS, Imperatorem, Damas pernici curſu fugientes, inſecutum, ac inter præruptа petrarũ juga, fatali præcipitio proximum, Mutianâ feliciore dexterâ retrahens in Territorio œnipontano, de monte ſend, Martin ſvand, nominato, miraculoſe conſervavit, Illiq; vitam & Imperio ſecuritatem prolongavit. Tam potenti PETRI dextera Imperator ſervatus, glorioſe Inſigne Gentilitium Ejus, auxit, ROSIS, CAPELLAS addidit, eximiam

Viri

Viri æstimátissimi prudentiam, fidem, atq; dexteritatem egregiam, in eodem Comitatu fortunis, favoribus, sublimibusq; Honoribus, ampliavit. Oraculo Majestatis laudata, & ampliori proventu cumulata PETRI merita, ad magna Honorum fastigia suorum quoq; Quaternionem Filiorum, PETRUM, HENRICUM EDVARDUM, atq; BARTHOLOMÆUM, Principum favore annuente, provocabant; verùm pulcherrimi ROSARUM Illi surculi, in aliarum terras Provinciarum transplantari famæq; suæ odorem fragrantissimum latius diffundi, elegerunt. Sic Tiroli HENRICVM possidente, pellexit PETRVM Prussia, EDVARDO & BARTHOLOMÆO arrisit Marchia; His tamen Provincijs felicior exstitit Polonia, quæ sub Serenissimo Rege SIGISMUNDO, AUGUSTO I, incomparabilis prudentiæ, atq; clementiæ Monarcha, cum amplissimo Avitæ gloriæ, Martialiumq; meritorum censu, non Nominis tantùm, verùm & virtutis Hæredem eximium, BARTHOLOMÆUM SZEMBEK, non degenerē prædicti BARTHOLOMÆI FILIUM, ad specialem viciniorū Principum, Illustrissimorum ALBERTI & FRIDERICI Marchionum Brandeburgen-

sium

sium, & in Prussia, Stetini, ac Pomeraniæ DVCVM, commendationem, inter Indigenas Regni coaptavit. Laureatis Poloniæ implantatæ ROSÆ campis, & ampliùs per NICOLAUM, STANISLAUM, atq; JOANNEM SZEMBECIOS, propagatæ deliciũ Proceribus Regibusq; extiterunt.

Quid referam, de inclytis Heroibus, HIERONYMOatq, ALEXANDRO SZEMBECYS? Nonne Illi tanquàm duo belli fulmina, Sarmaticiq; Scipiadæ, in expeditionibus Moldavicis, Moschoviticis, ac Sudermanicis Bellatores invicti, plurima suæ dexteritatis, ac fortitudinis trophæa explicaverunt? nonne suum erga Patriam amorem, eximium efficaciter monstraverunt? Certè pro conservandis immo & ampliandis Regni finibus, nullum bellicis finem laboribus præfixerunt ut inæstimabile bonũ, Polonam libertatem spartano more non mænibus, sed manibus, pectoribusq; suis tuerentur. Agnovit Illos, non Sangvine tantùm, sed virili quoq; animo Fratres, inter armatas acies, fortunæ, vitæq; prodigos, & velut quodam sacro amoris æstro percitos, contra hostem dimicantes, nec semel Illos Victo-

ctorialibus decoravit laureis, magnus Ille JOANNES ZAMOYSCIUS, Hector Sarmaticus, Ductorum Exercitûs gloria eximia, Cujus triumphales Haſtæ innumeris onuſtæ trophæis, SZEMBECIANAS, in ſui coronamentum ROSAS, adſciverunt. Idem expertus eſt Alter Illuſtriſſimus JOANNES CAROLUS CHODKIEVICIUS Supremus Exercitûs Lithvaniæ Ductor, Vilnenſis PALATINUS, Leonum Sudermanicorum inſignis Expugnator, tãtùm SZEMBECIANÆ virtuti concedens gloriæ, quantùm invidiæ, triumphis Ejuſdem, Cymmerij Bubones tribuerunt. Et licèt inclytꝰ HIERONYMI Frater, mille palmas, ac laureas, animi fortitudine promeritus, inter horrenda Bellonæ tonitrua ad Smolenſcum corruerit ALEXANDER, Ipſum tamen, pro felicitate Patriæ corruentem, dicere infelicem, nefas eſſet, more namq; Phænicis in æſtu Martiali ex decoris Cineribꝰ, interminabili renatus æternitati, corona immarceſcibili, Regni cæleſtis, in Domino gloriatur.

Nec avulſo Illo ROSARUM ſurculo, alij SZEMBECIJ, Sacræ militiæ Theoſophi, FRIDERICUS & SIGISMUNDUS, defecerunt,

immo in ſuis Poſteris, Gabriele, STANISLAO, CHRISTOPHORO, PAULO, & ALEXANDRO, Cracovienſi Burgrabio, Regni gloriam adauxerunt, eximiam enim Illorum Indolem, & integerrimam erga Majeſtates fidem, Sereniſſimi Reges SIGISMUNDUS, II. & VLADISLAUS IV. in præcipuis Aulæ Officijs, Regaliumq; Theſaurorum proventibus ampliandis auctam Regni gloriam agnoverunt. Tanta Togatis, Sagatiſq; Negotijs, ad præcelſos Honores poſuerunt præludia Inclyti Prædeceſſores Tui, Supreme Regni DAPIFER; Inter varias temporum, fortunæq; viciſſitudines, domi ſubſidium, foris exhibuerunt ornamentũ, Atalantæ velociori curſu, ad ampliſſima meritorũ ſtadia decurrenda Pancraticos agones perfecerunt, ut non veſtigia tantùm, & lampada, verùm & honorificũ, Poſteris, virtutis bravium fauſtiſſimè præmonſtrarent.

Primus Illorum Poſterorum, dignam, ſui excitat memoriam, tot refulgens virtutum ſplendoribus, Illuſtriſſimus Dominus, FRANCISCUS in Słupow SZEMBEK, Camenecenſis CASTELLANUS, Regni SENATOR, non memoria tantùm, verùm & imitatione digniſſimus, PARENS TUUS,

Qui

Qui, licèt in Jagellonico Helicone ſatis excoctus fuerit, ſoles tamen Exoticos luſtravit eo, quòd bono Civi, Conſiliario, & Senatori, apprimè neceſſariam eſſe, multarum experientiam rerum judicaverit, Regnorumq; ac Rerumpublicarum ſtatus, Leges, & conſvetudines, explorandas cenſuerit, ut talibus inſtructus, optimus peregrinantis Patritij animus, in promptu poſſideret, quid exabrupto, domeſticis, quid Exoticis, in tractandis Regni negotijs, deberet reſpondere. Redux deinde ab Exteris, ſublimis ingenij talentis dives, ea, in communes Patriæ uſus, in aureæ tutelam libertatis, abundè impendebat. Fecialis ad Regni Comitia deſtinatus, non aliud, etiam cum fortunæ diſpendio, dilectiſſimæ Patriæ Matri ſuæ voluit exhibere, quàm quod olim Romanæ Reipublicæ, præſtare Tullius exoptavit. Hinc illa virtutũ ejus Encyclopedia, Ille maſculus, ad ardua Reipublicæ ritè peragenda negotia vigor, Illi non molles, in perferendis pro bono communi laboribus, artus, Illud infractũ in eventu fortunæ utriuſq; robur. Illud capaciſſimũ ſervandi arcana, depromendi ſana conſilia, exequendi ſtatuta, pectùs, ve-

ros æſtimâtores ſui, non inquirendo repererunt. Rerũ namq; Polonarũ Stator, magnus Tauricæ terror, fulmen orientis formidandum, Triumphatorũ Triumphator, Maximus Regum, JOANNES III. de tota Chriſtianitate meritiſſimus, in diſtribuendis dignitatibus, Argus Centoculus, primò ad Præfecturam Becenſem, deinde ad Sanocenſem, & mox ad Curulem Camenecenſem, FRANCISCVM invitavit. Et meritò, nam ante Honorem Senatorium, majeſtate vultûs, peritia ſtatûs, rerũ experientiâ, humanarũ, Divinarumq; Legum, ſcientiâ, & obſervantiâ, dictorum, & factorum, veritate, affectuum admirabili moderatione, inſigni prudentiâ, ſervidoq; promovendi Boni publici zelo, Senatoris optimi effigiem, FRANCISCUS præferebat. In Illa vero virtutum Ejus Encyclopedia, in Illa rectefactorũ Corona pretioſa, tanquam inæſtimabilis reſplenduit gemma, eximia Pietas, quâ, in Deum, Divoſq; ferebatur, Tàm piæ liberalitatis Geniùm, pijſſimo ſuo pectori, orthodoxa, ſibi à majoribus communicata, & inſignibus rectefactorum ſuorum momentis ampliata indidit Religio, quâ proſcriptis ab Aula ſua luxi-

luxibus, in pauperum numerosos cætus, & maximè, in Religionem Seraphicam, in constructuendas, & exornandas Divorum Ædes, vix non totam suam substantiam erogavit. Dei æmulatione suos æmulatus Aborigenes, (qui muratũ in Słupow templum fundaverunt, eiq; perpetuò sibi succedentes ex Religione nostra per IPSUM Capellanos providerunt) seræ Posteritati, suæ liberalitatis pijssimæ reliquit Cracoviæ atq; Zielenicijs monumenta, ut hîc Augustissima Cæli, & terræ Imperatrix, Virgo Deipara, ibi verô, tantæ Imperatricis assistens solio, Virgineus CASIMIRVS, Templis, & Aris, magnificè constructis, devotè colerentur. Hanc eximiam Illius pietatem, justissimus Remunerator, in terris etiam, numerosa sobole, præmiavit Deus, Qvi & si quandoq; longa sterilitate justos affligat Conjuges, uteosdem postea, exoptata sæcunditate, consoletur, sæpiùs tamen, quemadmodùm sterilitate arida, solet plectere impios, ut experti sunt, Augustus, Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Trajanus, Adrianus, qui ob suam impietatem, desiderata prole caruerunt, nullumq; de se, tanti hæredẽ

Imperij, exoptâtum reliquerunt, ita ex adverſo, conſpicuos pietate maritos, mira fæcunditate remunerat, ſuaq; implet promiſſa, unicuiq; talium, Pſalmo 127. facta, Vxor tua, ſicut Vitis abundans, in lateribus domus tuæ; Filij tui, ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominũ. Sic benedictus exſtitit, à Deo, ſalutari ſuo, Illuſtriſſimus PARENS TUUS, Supreme Regni DAPIFER, Nam pluſquàm nongentis annis florentiſſimam junxit Illi, Deus Proſapiam, ut Iſta, quæ cum Chriſtiana Principe DĄBROWKA, MIECISLAO I. totiq; Orbi Lechico, Chriſti fidem, atq; ſalutem, dediſſe perhibetur, & quæ, inter ſacros Orthodoxæ Poloniæ Indigetes, atq; Patronos, grande decus columenq; rerum edidit & educavit, Diviniſſimum HYACINTHUM, etiam SZEMBECIANAM auctura pietatem, Illuſtriſſimi Connubij Tædas accenderet ſanctiores, â quibus, diviniores Veſtalibus, accenderẽtur ignes, in veri Numinis Altari, ſimul lucentes & ardentes. Sapientiſſimo Deus providit conſilio, ut Illuſtriſſimus Dominus IOANNES PIĘNIĄZEK, Siradienſis PALATINUS, novam

vam Palladem, nàm SOPHIAM ODROWĄSIAM, lectiſſimam Nympham, Illuſtriſſimo PARENTI TUO, Supreme Regni DAPIFER, primario matrimoniali fædere ſociarét, ex Qua, in communem vivendi auram, ſuſceptus eſt multiplex dilectiſſimæ Prolis numerus digno laudum encomio celebrandus.

Ex Illo numero erat Illuſtriſſimus Celſiſſimuſq; PRINCEPS, STANISLAUS SZEMBEK, Legatus Natus, Regni Prorex digniſſimus, nam Princeps primarius, SZEMBECIANÆ Apex, adoreæ, in QVEM, Avitorum, decorum, virtutum, & meritorũ minores majoreſq; torrentes, gloriæq; fluvij, velut in Oceanum intraverunt, ut meritò, primò Dioniſienſis Præſul, Suffraganeus, Vicarius in Spiritualibus, & Generalis Officialis Cracovienſis, ingenti totius Diæceſis bono creatus, Honore Abbatiali Claræ Tumbæ ſublimatus, geminatam Inſulam, in ſuorum eximiorũ Coronam reciperet meritorum. Quibus auctis ad Vladiſlavienſem Cathedram eſt, evectus, ac tandem ARCHIEPISCOPVS Gneſnenſis, & PRIMAS Regni factus, novo fidelem gregem, gratiarum Hymetto,

ROSEVS PASTOR, pavit, & ad locũ æternæ Paſcuæ, Theſſala Tempe longè amæniorem, feliciſſimè minavit, atq; poſt longos, invicto ipſius Diviniſſimi Patroni ſui, Seraphicis incendijs calentes ſpiritu, ſuas Gentilitias CAPELLAS, Oleniâ feliciores, ROSETI proprij delicijs enutritas, cælo Empireo conſecravit.

Ex Eadem Heroide Illuſtriſſima ſuſceptus. Illuriſſimus Dominus PRÆCLAVS STEPHANUS SZEMBEK, Woynicenſis CASTELLANUS, tranſacta in Cratiæ Palladis ludo literario, ætate juvenili, aſperioribus Bellonæ ſtudijs victorem poſtea animum exercuit, ut ex utroq; campo, triumphales laureas ediſceret promereri. Magnum JOANNEM III. non ad Chotimenſe tantùm, ſed ad Viennenſe quoq; bellum, velut Epheſtio Alexandrum comitatus, Ejuſdẽ victoriarum conſors, æterna dignis memoria factis, ſæculorum faſtos adornavit. Nec bello duntaxat, ſed & pace, ſervare Patriæ Cives concupivit, ideoq; poſt Caſtrenſes & Obſidionales, Civicas quoq;, per ampliſſima Procerum ſuffragia, Coronas obtinuit, nam & Tribunum Plebis, in Generalibus Regni Comitijs, & Prætorem

rem, in Trbunalibus agendo, ſecuritatem Patriæ providebat, incrementa gloriæ Dei procurabat, pandebat ſacra juſtitiæ adyta innocentibus, non indulgebat ſontibus, à Sacro Sanctis Legum Tabulis, æquitatiſq; Orbita, nec minimum ungvem, recedebat, ſe, unum omnibus, virum quadratum, integrum, affabilem, ſincerum, æquanimum, & ſine ruga, exhibebat. Tot proinde ſuffragantibus meritis. Conſcriptorum Patrum numero, ac ordini Senatorio, calculô penè divinò Magni IOANNIS III. eſt adſcriptus, & ad Curulẽ Caſtellanatûs Woynicenſis, digniſſimè ſublimatus. Quodſi fidei candorem illibatum, Polonæ felicitatis Inſtauratori, deſideratiſſimæ pacis, cum Porta Othomanica fauſtiſſimo Auſpici, & ſtatori, avulſarum Provinciarum Reſtitutori, poſſeſſarũ Propugnatori, Sereniſſimo AUGUSTO II. Poloniarũ REGI, nato Saxoniæ DUCI, & ELECTORI, ab eodem ſervatum referã, verè dicam, Eundem hîc Columnas poſuiſſe triumphales. Diſcordiam enim inter Patriæ Cives, diſordinem inter Ordines, maligno ſpiritu quibuſdam ſeminantibus, Illuſtriſſimus PRÆCLAUS, in campo Ele-

ctorali Senator eximius, majori cum ámpliſſimorum parte Ordinum, prudentiſſimè cenſuit, dignas Regali ſceptro manus, nam triumphales, dignum Diademate Caput, nam galeâ ſæpè preſſum, ac præludentibus Martis laureis, redimitū, dignos Lechico paludamento, Tanti Principis lacertos, nam lorica thoraceq; attritos, dùmq; tàm excelſum, cæliq; æmulū, nam uniformem animum, uſq; ad Regni capeſſenda Inſignia, inaugurationem auſpicatiſſimam, & reliquorum Procerum animos conciliatos, PRÆCLAUS, retinuit, ſe digniſſimum exhibuit, cui meritò, abſente Majeſtate, Metropolis Regni, Regaleſq; theſauri, tutiſſimè concrederentur, ut potè Cujus dexteritas, conſtantia fideiq; intaminatæ Sacramentum, apertis explorata ſunt, documentis.

Ex Eadem HEROIDE Illuſtriſſima, in ROSEA SZEMBECIANÆ gloriæ Heſperia, ſuſceptus eſt ILLUSTRISSIMUS DOMINUS MICHAEL SZEMBEK, EPISCOPUS Paphēſis, Suffraganeus, Vicarij in Spiritualibus & Officialis Cracovienſis digniſſimus, ABBAS Claræ Tumbæ meritiſſimus. QVEM niveæ mentis ebur, perpetua animi malacia, decor

inno-

innocentiæ, probatæ medullâ prudentiæ, ſublimior humanarum, Divinarumq; literarum notitia, Virgulam Ariſtarchi, non metuens vita, ſupra humana, quodam diviniori modo evexerunt, vixq; non Angelicam ſui Patroni vitã, inter homines mortales ducere, probaverunt. Grande tantis virtutibus momentũ addidit ſacratior ſtatera Themidis, quâ in Cauſarum meritis veritatem, & ſeveritatem, juſtitiã, & clementiam, ſic temperavit, ut adæquatum pondus, abſq; defectu, & exceſſu, poſſiderent. Quid de Ipſius miſericordia, miſeriam egenorũ ſublevante, proferam? quid de humili, ſublimiorum fuga Honorum, pronunciabo? primam inter alia plurima, Minoritica præſertim Seraphici Patriarchæ Clauſtra, ſæpius experiuntur, imò Templa quoq; loquuntur, in quibus conſecrati Calices, Magnifico Illius Præſulis ſumptu, auro fulgent obrizo deaurati, ſecundã verô, licèt vere humilis, tamen veriùs ſublimis, tam ſancti Pontificis, monſtrat animus, eligens, omnia vincentes, in terris exantlare labores, non terrenis Honoribus compenſandos, verùm æterno cæleſtis gloriæ præmio ROSEO coronandos.

Vivat IS, extentum felix validuſq; per ævum,
Inferat HVNC CÆLO, Pontificalis amor.

Quartus deinde, ex eadem Heroide Illuſtriſſima ſuſceptus FILIVS, Paternæ Germanæq; virtutis excellentiam ſecutus & aſſecutus, Perilluſtris, & Reverendiſſimus Dominus ANTONIVS SZEMBEK, Cracovienſis Canonicus, Utriuſq; Juris Doctor optimus, illud de ſe Athenis Lechicis, in quarum lyceis olim eximius erat Theopompus, illud, ſuæ Coronatrici, Romanæ ſapientiæ reliqvit encomium, quòd ſanctiori luxu, abſumptis virtutum, & ſcientiarum unionibus, publicis in Exedris, ſui pretum ingens comparaverit. Audierunt plurimi ſvadã oris Illius, Sacræ Scripturæ gemmis grandinantem, irriguoq; facundiæ obryzo depluentẽ: acceperunt non pauci, Canonicæ, Civiliſq; pondera veritatis; agnoverunt publico calentem zelo, contra ſæculi abuſus, contra animarũ Corruptores, contra diras fidei Orthodoxæ Harpyas, contra ſceleratos Legũ contemptores, ANTONIJ Spiritum, viderunt cuncti, Tantum Virum, Pontificali Mitra digniſſimum, hac tamen in terris alteri deſtinata, Supremus Regum REX, ad pretio-

ſiorem

ſiorem Regni æterni Coronam, ROSEVM ANTONIVM, conſumatum in brevi, ſed explentẽ tempora multa, dignatus eſt evocare.

Et ne decoris quidpiam SZEMBECIANIS deeſſet ROSIS. Peſtum Illarũ, Polonus Pactolus, SRZENIAWA RUPNIOWSCIA, aureis gemmeiſq; laticibus abundè irrigavit, dùm utraq; venuſtate formoſior, ex Illo Flumine ad ROSETUM SZEMBECIANUM, cõmeavit RUPNIOWSCIA NYMPHA. Quæ incredibili mentis conſtantia verè maſcula prudentia, frequentato orandi ſtudio, profuſo, in ſublevandas egenorum ærumnas, beneficio, eximijs cæterarũ virtutũ dotibus, antiquioris, præſentiſq; ſæculi, glorioſas Heroides, vel ſupergreſſa, vel paribus veſtigijs aſſecuta, divina benedictione præventa, odoriferos in ſvaveolente ROSETO, ad Patriæ, Eccleſiæ, ac Illuſtriſſimæ Proſapiæ, ornamentũ, FLORES, collegit, ſibiq; in coronamentũ colligavit.

Primum inter Hos locum occupat RVPNIOWSCIÆ Deiopeæ, dilectiſſimus FILIVS, Illuſtriſſimus & excellentiſſimus Dominus, JOANNES, COMES in Slupow SZEMBEK, SUPREMUS Regni CANCELLARIUS Lomzenſis, Graudentinenſis, & Campinenſis CAPITANEUS, Qui quàm propè Sereniſſi-

mis majeſtatibus aſſiſtere, quàm Illis cordi eſſe, debuerat, jam Apollo Iagellonicus augurium depromebat, dùm IOANNES, indefeſſa ſedulitate, laudatiſſimâ, omnes penè diſciplinas ediſcendi ſolertiâ, vultu verè muſculo, geſtu, ad majeſtatem compoſito, lingva, pondus tantùm animi, eruditaſq; gnomas, decus ingenij ſublimis declarantes, proferente, præditus, Honores, quibus nunc deſuper gaudet, autumabat. Id in ILLO, proborũ omniũ ſuſpexit judicium, quòd quæſitam Germanicis Italicis, Galliciſq; peregrinationibus, rerum experientiam, virtutum, & ſcientiarum ſemina in uſum publicum curaret maturari. Vnde Aprico nata ILLIVS Indoles, ſumæq; animi dotes, in publica Poloni orbis faciè, diligentiſſimè, bonum commune promoventes, à Sereniſſimo, & Potentiſſimo REGE AVGVSTO II. poſt eximium REFERENDARIj munus, novo ſunt CANCELLARIATVS Regni Honore coronatæ. Iure mehercle merito, cui enim conſultùs tantus Honor, à PRINCIPE Optimo Maximo conferendus, erat, quàm ILLI Viro, quem conatus infatigabilis, aſſidua cura, circumſpecta prudentia, ſalutifera

fera consilia, promovendi boni publici ardentior amor, in communes Regni necessitates natum esse, præmonstrabant? JOANNIS gaudens Nomine gratioso, unà cum Illustrissima Consorte sua EVA LESCZINIA, eximia procuravit gratiarum incrementa, dùm sumptu magnifico, Teresianis Vestalibus, celeberrimum, versùs Cracoviam, cum Templo, construxit Cœnobium, per quod, suæ quoq; Illustrissimæ Prosapiæ, Dei gratia collata, augeretur. Prædicavit Joannes, Zachariæ Filius, pœnitentiam, in remissionem peccatorum, ampliavit IOANNES Illustrissimus innocentiam, Religiosarum Carmeli Virginũ, per Illumq; Deus, contulit speciale meritorum incrementum Minus felix exstitit primæva generis humani Parens, Eva, miseram prolem suam, simul pariens & perimens. felicior manet, Illustrissima LESCZINIA EVA, Teresianæ soboli spiritualem augens Vitam, Prima nostra Parens Eva, Dæmonis astu circumventa, cupiens esse Dea, insipienter, nam in efficaciter, ad honorem illũ, Caput suũ erexit, Illustrissima EVA, sapientissimè, nam efficacissimè, Gentilitium BISONTIS Caput, SZEM-

BECIANIS redimitum ROSIS, deflexit, ut pia commiseratione mota, Religiosæ Carmelitissarũ paupertati subveniret. Parum erat IOANNI gratioso Provinciæ Majoris Poloniæ, Ordinis Minorum, Sancti Patriarchæ nostri Francisci, Observantium, SYNDICO Generali Apostolico, Christi Vicarij Pontificis Romani, pro tuenda eadem Provincia, Vicesgerenti, plura exhibere gratiarum eidem Provinciæ beneficia, Seraphicæ quoq; filiabus Teresiæ nova, gratiarum exhibuit documenta. Digniſſimus certe fuit, qui post factam justitiæ administrationem, Orthodoxæ Religioni, irrogatæ injuriæ, vindicationem, detenti per multa temporũ lustra, ab Hethorodoxis Toronensibus cum Templo Cænobij, Ordini Seraphico, restitutionẽ, in Apostolicis BENEDICTI XIII. literis, benedictionem Pontificiam, debitumq; suis meritis, obtineret pretium gratiarum; digniſſimus item ex stitit, qui ad tàm præclarum constructi Templi, atq; Cænobij opus, sui PARENTIS Illustrissimi exemplo, invitatus, ad similia opera, futuros Fundatores, Ideâ suâ pulcherrimâ invitando, præmiũ à Deo mereretur sempiternũ.

Post

Poſt verè Magnum JOANNEM, ex Illuſtriſſima RVPNIOWSCIA feliciſſimè ſuſceptus, Illuſtriſſimus Dominus FRANCISCVS SZEMBEK, Supremus olim Regni DAPIFER, ad Craciam Palladem pinxit in ROSIS Purpuram, ſcientiarum majeſtatem, vicitq; invictus Horos, domeſticũ, hoſtem, ignorantiam, vitiorumq; fomitem ſuperando, atq; ceream invitia flecti juventam, triumphando. In tenero Corpore, velut Gigas, ad currendã virtutis viam, exultavit, hoſtilem utriuſq; appetitus, Concupiſcibilis, & Iraſcibilis aciem, debellavit, victor in Patria, virtutum ſatellitio fretus, bellum paravit in Exteros, arduumq; expeditionis aggreſſus iter, primò in Germaniam venit, quæ ab antiquo, ROSIS obligata SZEMBECIANIS, in Illius amoris vincula, ſua ſponte properavit. Ex Germania profectus in Italiam, Romam, terrarum Dominam ingreſſus, corda Civiũ, Svaviſſima ROSARVM fragrantiâ recreavit. Romanas inter delicias, illæ ſuis erant deliciæ ROSIS, quibus ipſi ſuperi, delectantur. His affluens, ab Heroum Parente Italia, migrans, in belligero æſtuantẽ igne, Galliã

perveniens, Lilijs ROSAS addidit Gallicanis, Romam Parisijs, cæterisq; suæ peregrinationis Vrbibus, sociavit, mores honestissimos, in Patria acquisitos, Romanaq; pietate auctos, ab hostibus vitiorum propugnando. Sic Regiones exoticas intaminatæ mentis constantiâ expugnavit, debellavit, triumphavit. Redux in Patriam victor, triumphalibus ab eadem coronis decoratus, concordibus votis, ad varia Reipublicæ munia destinatus, virtutes, pro gemmis, ROSAS in Corona circumtulit, pro pyropis. Tàm conspicuum virtute virum, & Conscriptorum senacula Patrum, & penetralia Regum benigno lumine conspexerunt, Lechicæq; Themidos sacraria æquissimum, Becensem CAPITANEUM, coluerunt. Sed una sede judiciaria FRANCISCI dexteritas contineri non valuit, collato igitur per Comitia, MARESCHALCI scipione nixa, firma stetit, ad Patriæ molem fulciendam. Imò Volavit, Aquilæq; volatum adæquavit. A Sereniſſimo Poloniarum REGE collatum caduceum. Fecialis FRANCISCVS, ad Augustissimos Imperatores deferens, eò non degener pullus festinavit, quò Parens Aquila

destinavit, quo direxit Patria, eò egregius Civis movebatur. Adeo majestatem Principum, flexanimâ svadâ permovebat paludatâ, ut ROSARUM indutus Purpuram, Roseũ se Oratorem exhibendo, vultu & ore, verbo & opere, perorando, Herculeisq; vinculis, corda Principũ stringendo, in commodum Polonæ Reipublicæ, corda eadem inflecteret, sic Purpureæ suæ ROSÆ vota Patriæ coronaverunt, sic Civiũ sitim restinxerunt. Famẽ tamen Principi, ut eas, Regiæ apponeret mensæ, causaverunt. In ROSIS igitur, mentis optimæ succum præguſtans Princeps, contra-mortifera factionem venena, salutarem FRANCISCVM, Regni creavit DAPIFERVM ut, & Regnum splendidè, & Cives Roseis tractaret Dapibus gratiosè, pronuba Iuno, cui sunt vincula jugalia curæ, ad Epulas venerat, auctura q; pompam, Hymenæum invitaverat, ut ROSAS, connubiali nexu, colligaret. Mars furiosus foris stetit, amissoq; furore, plenus terrore, intrare ad nuptias, formidavit. Armata non Ægide, sed Ascià Pallas, Illustrissima Domina MAGDALENA, Illustrissimi Domini STANISLAI de Szczekarzowice TARLO, Lublinensis PALATINI; lectissima FILIA, venit ad

nuptias invitata, Pacisq; ſymbolum, nuptialem ſuſcipiens annulum, connubiali fœdere, SZEMBECIANIS FRANCISCI ROSIS, TARLORUM ASCIAM ſociavit. His jucundè paſta Epulis, vix felix eſſe, cæpit Polonia, dùm inimicus ſuperveniens hoſpes, Leo Svecus, amicos convinantes conturbavit, amarum fel, vino miſtum, epulantibus propinavit, Regnum in ROSIS depaſci deſiderans, in publica negotiorum mole, affectus Patriæ Sereniſſimo Regi deferentem DAPIFERUM, apprehendit. Suis tamen deſiderijs fruſtrari debuit, imò pudore ſuffundi nimio, doloreq; dilaniari maximo, coactus eſt, qui capti DAPIFERI robur invictum, nec tunc potuit expugnare, dum Eundem in Anguſtijs detineret. Liberrimus namq; DAPIFER, volabat per æthera, ſerenum innocentiæ vultum & infractum fortitudinis pectus, Orbi Lechico demonſtrando. Non militum validis ſuppetijs, verùm potentiâ propriâ, hoſtem infra ſe poſuit, nulla frangi anguſtiâ, in partem Svecorũ, flecti potuit, qui licet corpore robuſto deſtitutus, intrepida tamen mente prædítus, Sveci Leonis iras expugnavit, & quaſi captivus in triumphũ

ctus, captivantẽ hoſtem triumphâvit. Sic rubicundi extincta ſunt incendia Martis, ad ROSARVM Purpuram palleſcentis, quam impavidam, ultroneè recognovit. Magna & Neptunus; alter hoſtis furioſus, attentavit, profundas æquoris undas concitavit, tumentibus ROSAS obruere fluctibus exoptavit, ut immenſa ferventis licentiâ Ponti, fulgentem Purpuram ab ſorberet. Nihil tamen proficiens, intactam, Patrijs littoribus coactus eſt reddere, materiam plauſus & gaudij amicorũ. Sic furibundi conatus Martis, nihil adversùs ROSARUM Purpuram, terrâ mariq; obtinere potuit. Immò nec fatales aſſumens Æoli Libitina furores, eluctatas Pelago ROSAS, mortalitatis fluctibus, ab ſorbere valuit, DAPIFERI namq; ROSÆ, ipſos quoq; mortalitatis vortices, triumpha verunt, dùm ademptæ ſolo, in ſuorũ præmiũ meritorum donatæ polo, in cæleſtis Roſeto gloriæ vernant amænè, vèrnabuntq; in æternum.

Exeadem Illuſtriſſima RVPNIOWSCIA, non minùs mente quàm corpore formoſiſſima Nympha, feliciſſimo procreatus ortu, Illuſtriſſimus Celſiſſimusq; PRIN-

CEPS, Varmienſis & Sambienſis EPISCOPUS CHRISTOPHORUS SZEMBEK, lãgũ benedictionẽ accepit à Domino. Qui de ſalutaribus Salvatoris fontibus, in ROSETVM Illius, copioſas effudit aquas gratiarum. Cernit perſpicuè totus orbis Lechicus, de fonte ſapientiæ, aquas Conſiliorum, de fonte veritatis undas, judiciorum; de fonte Charitatis, piorum lymphas deſideriorum, de fonte virtutis omnigenæ, liquores præſidiorum, in Tanti PRINCIPIS ROSETUM defluxiſſe. In Illa IPSE, Domo natus, in Illis Ædibus, eſt educatus, quas Illuſtriſſimi PARENTES SVI, virtutis & honeſtatis Palæſtram, formaverunt, in cujus penetralibus, exercebatur puritas, in menſa ſobrietas, in victu frugalitas, in cultu moderatio, in vultu modeſtia, in omnibus exquiſita honeſti vigebat cura, ſvaviſſimaq; in bonis moribus harmonia reſonabat. In hoc virtutum Gymnaſio, Sacerdotales & Pontificales, aquirere virtutes, CHRISTOPHORVS voluit, ut ſuper hoc ſolido probitatis fundamento, divina Iagellonicæ Palladis arte, magnificũ ſapientiæ conſtrueret Auguſtale. Quocirca Heroica ſedulitate, politioris Atticiſmi collectis floribus, non

RO-

ROSAS tantùm, ſibi familiares, verùm & totum Himettum loquebatur. Eum in pubertate ſua innocentiſſima, veriegatis virtutum ornatum coloribus, animũ demonſtrabat, morumq; gravitate Philoſophus, in propriæ forma vitæ, demonſtrativa probitatis, formabat argumenta. Vidit virtutis ac ſapientiæ Ipſius celſitudinem Roma, & quæ priùs Triumphatores coronabat, Ipſum quoq; jam pridem ſui victorem, Apollinari digniore laurea, coronavit. Redux in Patriam Vir ſapientiſſimus, ubi ſub aſpectum magnorum venit Antiſtitũ, confeſtim ad Cleri exemplum, & augendum Eccleſiæ ornamentum, in Honorũ Aprico ſtatuitur, Canonicus Cracovienſis creatus, præcelſumq; Coronarũ Vavelli Ternionem nactus, ex Illo pingvi, ſancto namq; Dei monte, veluti fons nitidiſſimus per utriuſq; ſubſellij Tribunalia, judicio æquiſſimo, eloquioq; ſvaviſſimo, ſitientium juſtitiam, arentem ſitim dulciſſimis lymphis reſtingvebat. Proinde dignus exſtitit, qui à majori Secretariatu Regni, ad altiora Honorum faſtigia, per virtutum eximia eveheretur documenta. Dignus, qui PRÆPOSITVS Generalis Miechovienſis

constitutus, Reverendos Crucigeros, rectè regeret. Dignus, qui Præmyslienſem Inſulam, publico cum plauſu reciperet, ſummaq; cum laude gereret. Dignus cujus puriſſimis manibus, Coronationē Claromontanæ Virginis Deiparæ, ſumus Pontifex CLEMENS XI. committeret. Dignus, qui Synodo celebratâ in ſua Præmyſlienſi Diæceſi, ſuæ virtuti congruâ Varmienſem Cathedram ſimul & PRINCIPATVM, occuparet. Decuit namq; ut Diæceſis illa, nulla hæretica, labe infecta, nulla quoq; licentioris vitæ contaminatū macula, Illuſtriſſimū RRÆSVLEM Celſiſſimūq; DVCEM CHRISTOPHORū, verè CHRISTVM quaſi plantationē ROSÆ in Iericho, ſuo in Pontificali ferentem pectore, obtineret. Faxint ſuperi, ut Purpureæ Tanti PRINCIPIS ROSÆ, de quatuor Salvatoris fontibus, lymphis gratiarum irrigatæ, de quinto etiam perpetuæ gloriæ fonte, ſera poſt fata, æternâ in Domino amænitate glorientur.

Odoriferæ, Illuſtriſſimorum, ac Celſiſſimorū TVORVM Coronæ FRATRVM, imponis Coronidem, Supremæ Regni DAPIFER, Becenſis & Radomſcenſis CA-

PITA-

PITANEE. Qui ex Eadem Heroide Illustrissima RUPNIOWSCIA, eximia PARENTE TUA natus, honestissimè in super educatus, artibus liberalibus à Cracia Pallade eruditus, Romam postea jucundissimo TVO, adventu, adeò recreasti, ut Illa, quæ olim Regibus multis imperaverat, Illa, quæ & nunc. Totum cum Regnis complectitur omnibus orbem, TVIS delectata svaveolentibus ROSIS, debita Easdem observantia honoraret. Nulla jam ibi Pompeij, nulla Scipionis, Augusti, Neronis, Trajani, nulla similium supereſſe busta conspexisti, perijt enim memoria eorum cum sonitu, sanctorũ tamen Apostolorũ, glorioſorum Martyrum, laudabilium Confessorum, purissimarumq; Virginum, & piarum Viduarũ sepulchra sacra, devotè visitasti, piaq; veneratione, mausolea, sanctorum Petri & Pauli, Laurentij, Sebastiani, Alexij, Susannæ, Cæciliæ, Pudentianæ, Praxedis, Felicitatis, Franciscæ, Ludovicæ Albertoniæ, auro, gemmis, marmoribus, plurimisq; lampadibus resplendentia, atq; ingredientibus, Cæli speciem obijcientia, pijssimè honorasti. Et licet inter candida Galliarum Lilia, fulvis hærentia

tia virgis, Gentilitiæ TVÆ, ROSÆ, TVARVM Virtutum Regno Galliæ exhibuerint delicium, Romanis tamen Divorũ ROSIS Martyrum, atq; Virginum Sanctarum, pio affectu admiſtæ Lilys, majus ab illis pretium acceperunt, ut odoratam ex Eis, Coronam præparares, qua bonorum omnium Largitorem Deum, valeres coronare. Extra paradoxum eſt, Iuſtorum animas, ex præclaris meritis, immarceſcibiles æternæ gloriæ ſibi parare Coronas, Prædicatore veritatis atteſtante. Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. z, ad Timoth: 2. ac in Domino gloriante: Bonũ certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi, in reliquo, repoſita eſt mihi Corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die, juſtus Iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & ijs qui diligunt, adventum ejus. Ibidem c. 4. attamen, juſtorũ Corona, Dei corona eſt, quâ Ipſe ab animabus juſtorũ honorificè coronatur. Procidebant bis duodeni ſeniores, ante ſedentem in Throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorũ, dicentes. Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutẽ, quia tu creaſti omnia, &

pro-

pter voluntatẽ tuam erant, & creata ſunt. Apocalypſeos 4. Idem faciunt omnes juſti homines, magnum cum carne, mundo, ac dæmone prælium exercentes, motum affectûũ utriuſq; appetitûs, frenantes, ſuperbiam, avaritiam, gulam, iram, cæteraq; vitia cohibentes, capitales animæ hoſtes debellantes, victricem Coronam per Chriſti gratiam excitantem, & adjuvantem reportant, eâdemq; Chriſtum coronant, quâ Ipſe magis delectatur, & gaudet, quàm ſi aurea gemmeâq; ornaretur. Meritò Divus dixit Hieronymus. Nobis proficientibus, & reverſis ad meliora, per ſingulas virtutes noſtras, Dominus coronatur. Talibus virtutum ſertis pretioſis, Dominum apud Exteros coronaſti, talibus Coronis meritorum, Redux in Patriam, ſupreme Regni DAPIFER Eundem adornare, non ceſſaſti. Pluribus, nulla eſt familiarior Toga, niſi candida, quam nunquam deponentes per Curiata & Centuriata Comitia, multitudine, potentiaq; amicorum freti, plures circumcurſare, ſingulos miro ſtudio ſalutare, omnibus manum porrigere cunctis arridere, Suffragatoribus & Aſſertoribus, qui alijs Competitoribus invidiam,

ſibi verô ſtudia & favores conciliare valeant, obſequi conſveverunt. Regiã Tuæ modeſtiæ, hoc nefandum Cacóèthes, nunquàm invaſit, nunquam Tuæ adyta verecundiæ penetravit, ur potè non benè ſibi conſciæ mentis faſcinum, diſcordiarũ, odioruq; ſeminarium execrandum. Sufficientiſſima Excellentiæ TVÆ fuit, Illa virtutum Encyclopedia, quæ collatas Præfecturas Becenſem & Radomſcenſem, ſublimioribus præludentes Honoribus, in meritorum præmium obtineret, non ut Illæ Magiſtratuum auſpicijs, Virum TE cordatũ demonſtrarent, mentis namq; TVÆ integerrimæ, cryſtallus nitidiſſima, omnibus jam pridem tranſparebat, ſed ut non tantùm Radomſcenſis, verùm etiam ſubmontanæ Becenſis Aſtreæ, ſedes Judiciaria, ſub Tanto Iudice, cujus animi celſitudo, eſt contermina Cælo, ſanctiora datura edicta, in ſublimiore Juſtitiæ monte locaretur. Ruiſſe olim Cauſas, ſub Cecropia Themide, juſtumq; Ariſtidem, pati exilium debuiſſe, Socratem quoq; ad Cicutam damnatũ exſtitiſſe, tradunt veterum monumenta. TV IVDEX æquiſſime, lancem Iuſtitiæ, adeò firmâ tenes dexterâ, ut neutram

tram in partem Doricæ pondere Muſæ, illa valeat inclinari, abhorres enim TE flexanimem eſſe, niſi quo ducit rectitudo. Complacuit Majeſtati, totiq; Regno, hæc TVA Illuſtriſſime ALEXANDER, Heroica virtute magnum ſuperans Alexandrũ, activitas, dignaq; viſa eſt, cui ſublimior DAPIFERATVS Regni dignitas, conferretur. Splendidæ Conviviorũ Menſæ, odoriferis tegebantur olim Roſis, ad Convivales Dapes, Convivarum Capita, coronis Roſeis cingebantur, ut confortatum Roſis cerebrum, minùs à vino læderetur. Licèt etenim Roſæ igneũ aliquid áſpectui repræſentent, virtutem tamen refrigerandi poſſident naturalem, nam in ſua ſuperficie, non nimius, ſed tenuis calor, à naturali emiſſus frigiditate, purpureſcit. Ergo rectiſſimè Regni Epulis moderatis, ſunt adhibitæ Gentilitiæ ROSÆ TVÆ, ut Polonum edocerent orbem, iñoderatæ Conviviorum voluptatis, geminam eſſe filiam, crudelitatem, & immiſericordiam. Id ſuo non imitabili teſtantur Sodomorum Cives exemplo, qui per intemperatas voluptates, facti ſunt immiſericordes, atq; crudeles, dùm ſuas manus ad egenos proximos

non extenderunt, putántes, id ſuo ab-domini, voluptatũ gurgiti, defecturũ, quod in pauperes expendiſſent. Id illis exprobravit Deus dicens: Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus & manum egeno, & pauperi non porrigebant. Ezechielis. 16. Apage tantum à Regno Poloniæ nefas, in quo ejus Illuſtriſſimus DAPIFER, Suis Gentilitijs, ROSIS, epulas moderatur. Optime noſti, Supreme Regni DAPIFER, olim Deum, Iudæos, inſtar procellæ maris abripuiſſe, in Syriam, Ægyptum, Perſidẽ, aliaq; regna diſperſiſſe, fugientes â facie gladij Chaldæorũ, Patriâ proturbaſſe, quia, non Deo, ſed ſibi manducaverunt, & biberunt, non Deo, ſed ſibi jejunaverunt. Zachariæ 7. Hæc exponens S. Gregorius homilia 16. in Evangelia. Sibi ait comedit & bibit qui alimenta corporis, quæ ſunt cõmunia dona Conditoris, ſine indigentibus percipit, & ſibi quis jejunat, ſi ea, quæ ſibi ad tempus ſubtrahit, non pauperibus tribuit, ſed ventri poſt modùm offerenda, cuſtodit. Inde, non tàm Excellentiæ TVÆ quàm Ipſi Chriſto, qui ait, Quàm diù feciſtis uni, de his fratribus meis

mi-

minimis, mihi feciſtis. Matthæi 25. Dapes Tuas Charitatis ROSIS opertas adminiſtras, Chriſtumq; in egenis cibas atq; potas. Id inter alios, voluntaria paupertate preſſos, recognoſcit, debitas Excellentiæ TVÆ grates referens, Provincia noſtra Polono Lithvana ſæpeſæpiùs & in Comitijs Provincialibus, & in varijs Conventibus, manu Tua miſericordiſſima, ſufficientibus porrectis dapibus ſatiata. Quidni Roſeo erga egenos Charitatis odore fragres, QVI erga Deũ, æſtuante amore flagrare non deſinis? amoris hujus verè Roſeam fragrantiam ex halaſti, QVI per tot annos, deſolatũ Bierzdzierzenſe Templũ, ſumptibus Tuis reparaſti, ad illud, Capellanum ex Provincia Noſtra ordinari procuraſti, eidem quotidianum victum, decentem amictum, commodamq; Reſidentiam providiſti, ut per eum quotidie Deo, vitæ mortiſq; Domino ſacrificando, Deũ incruento ſacrificio jugiter coronares, larga benedictione ab Ipſo coronandus. Neq, tam pio erga Deũ affectui Tuo, fuit contraria, Excellentiæ Tuæ, connubiali fœdere ſociata, Illuſtriſſimi Domini Caliſienſis PALATINI Illuſtriſſima FILIA, vereq;

gratioſiſſima, nam & nomine, & ipſa re, ſonans gratiam, ANNA LESZCZINIA, vitæ probitate SVO MARITO Illuſtriſſimo ſimillima. QVÆ, non ùt Iezabèl Achabo, non ut Dalila Samſoni, non ut concubinæ Salomoni, non ut Omphala Herculi, dominabantur, audet Excellentiæ Tuæ dominari, ejuſq; conatus pijſſimos irritare, immò verò, Divinum illud edictū, Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Genes: 3. obſervans accuratè, ſanctarum imitando exempla matronarum præſertim Saræ, quæ maritum ſuum Abrahamum, appellabat Dominum Geneſis 18. in pietatis operibus, Excellentiæ Tuæ rectiſſimam ſequitur voluntatē. Aprime Biſontis Ejus Caput Gentilitium, Tuis ROSIS eſt redimitum, Mulier namq; diligens, corona eſt viro ſuo, Proverb: 12. Nec mirum eſt. Tuam Excellentiam Talem ſibi vitæ conſortem; ſtabili vinculo connubiali, menſe Iunonio ſociaſſe, Pronuba enim Iuno, Divina gratia, ſacris Iugalibus Præfecta Tædis, matrimonialis veſtri fæderis, Conciliatricē ſe monſtravit, ut copioſam VOBIS deſuper benedictionē largiretur. Hac VOS præventi, Parentes facti eſtis

fæ-

fæcundi, feliciſſimam procreando prolem, QVÆ Cælo digna Empyreo, in ætate innocente, ad illud, de hac miſera lachrymarum valle tranſmigravit, in illoq; vita vitali, vita ſecura, vita tranquilla, vita ſancta, mortis ignara, inſcia triſtitiæ, vita totius elegantiæ, dignitatisq; pleniſſima, vita potitur feliciſſima, ſibi à Deo ab æterno præparata. Vnica vobis in terris, à Deo conſervatur FILIA, Illluſtriſſima virgo CATHARINA SZEMBECIA, ut Eidem, tanquàm totius Poſteritatis magnæ ſpei, Sanctioris curam educationis impendatis. Eſt celebre, illud. S. Hieronymi dogma Epiſtola ad Gaudentium & Lætam eidem Lætæ datũ. Te habeat Magiſtram, rudis infantia, nihil in te, ac in Patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet. Illud quoq; S. Auguſtini. in Pſal: 127. Avibus etiam dictũ eſt: Creſcite, & multiplicamini. pro magno vis habere, quod avibus dictũ eſt? magis cogita, quomodo nutrias qui nati ſunt, quàm ut naſcantur. Non enim jam eſt felicitas habere filios, ſed bonos habere. Olim Auguſtus Cæſar, ob educationẽ pravam, duarum Iuliarum, filiæ atq; neptis, quæ publicũ Illi probrũ exſtiterunt, ado-

ptavit ſibi tertiam Agrippinã, ſed & hanc ob mores pravos abdicavit, nec aliter tres illas, quàm tres vomicas, vel tria carcinomata ſua nominabat, immò etiam teſtamento cavit, ne in Ejus monumentum defunctæ inferrentur, ſæpius exclamans illũ Homeri verſum. ô utinam cælebs vixiſſem, orbuſq; fuiſſẽ. Optime omnes matres ad rectè inſtituendas filias hortatur S. Chryſoſtomus homilia 9. in 1. ad Timoth. 1. Matres, filiarũ vobis curam aſſumite, eſt ea cura vobis perfacilis, curate ſolicite, ut domi jugiter ſint. Ante omnia, pias religioſaſq; eſſe, docete, aſpernari pecunias, exſterioris ornatûs cõtemptrices eſſe, atq; ita demùm nuptijs tradite. Eas ſi inſtitueritis, non ipſas modò, ſervabitis, verùm & viros. qui illas ducturi ſunt, neq; viros tantũ, ſed etiam filios, atq; nepotes. Quippe ex radice optima, ſurculi prodeunt firmiores, ac ſemper in meliora proficiunt, horumq; omnium, merces vobis eſt reddenda. Ita nempe Paterna domo decet progredi virginẽ, ac matrimonio jungi, quemadmodùm ex Palæſtra luctatorem, ut omnis rei familiaris, diligentiſſimè ſit perita. Tàm ſolicitam ſe monſtrat matrem in

erudi-

erudienda unica, maximæ ſpei FILIA CATHARINA, Illuſtriſſima Thori TVI particeps ANNA, Supreme Regni DAPIFER ut verè aſſimilari valeat pijſſimæ Imperatrici, Theodoſij Magni, Vxori PLACILLÆ, quæ ſuæ ſoboli rectè inſtituendæ, diligentiſſimum adhibuit ſtudiũ, eximiamq; pietatem. Quid quòd famulis, ſubditisq; veſtris, non dominandi deſiderio, ſed conſulẽdi officio, nõ faſtu imperãdi, ſed beneficio providendi, præſitis, ut proſitis? omnes monet Apoſtolus Dominos, ut non ſint minaces, verùm benevoli erga ſervos. Et vos Domini, eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis, & Perſonarum acceptio, non eſt apud eum, ad Epheſios 6. non enim reſpicit Deus perſonam hominis, an quis ſervus ſit, an Dominus? ſed unumquemq;, ſive ſervum, ſive Dominum, pro bonis operibus præmiabit, pro malis puniet, ergaſtuloq; addicet infernali, ait ibidem Cornelio à lapide. Hoc Apoſtoli monitum Supreme Regni DAPIFER unà cum CONIVGE TVA Illuſtriſſima, accuratè obſervatis, veſtrum enim in ſervos ſubditoſq; veſtros dominium, eſt potius obſe-

quium, quàm Imperiũ, dum famulis ſubditiſq; veſtris, amorem, humanitatẽ, Chriſtianamq; benignitatẽ exhibetis. De PLOTINA, Imperatoris TRAIANI Vxore, narrat Xiphilinus in vita Trajani, quòd poſt electionem Viri ſui ad Imperiũ, eundo in Romanum Capitolium, pluribus felicitatem Imperij eidem apprecantibus, in gradu ſubſiſtens, dixerit. Talis huc ingredior, qualem me exire cupio, illo ſuo innuens dicto, ſe non minus in Imperio, quàm cùm extra Imperiũ eſſet, omnibus bene velle. Rem probavit eventus, ita enim Plotina ſe in Principatu geſſit, ut omni juſta reprehenſione careret, nam ſine querela ſubditis, imperavit. Verùm Plotina humanitate ſua, infidelibus cõplacuit ſubditis. Illam proinde Supreme Regni DAPIFER, unà cum Illuſtriſſima CONIVGE TVA, ſupergreſſi eſtis, ut pote fideles Catholici, fidelibus famulis, ſubditisq; veſtris humaniſſimè imperantes.

Plurima tandem alia virtutũ TVARũ decora, præ ſtupore nimio, me attonitum hærere cogunt, Supreme Regni DAPIFER, TVAMq; Illuſtriſſimam EXCELLENTIAM, impari encomio laudum in

Domi-

Domino, celebrantem, ſub TUIS ROSIS, alta ſilentia compellunt obſervare. Vtinam tot mihi ora totq; ſuppeterent lingvæ, quot renidente amæno vere cunctæ, rubicunda candidaq; folia ferunt ROSÆ, ditiores tunc, in TUARUM Ternionem ROSARUM DAMARUMq;, venas eloquij erogarem, nunc verò argumenti magnitudine preſſus, exilis, nam ſenilis, ut pote ſupergreſſi ſeptuageſimum tertium ætatis annũ, ingenij contraho vela mei. ROSAS duntaxat gratas, nam de ſpinoſis Theologicarum difficultatum Roſetis, cautiſſimè collectas, publicoq; cultu, Magno NOMINI TUO honorificè dedicatas, TUIS Gentilitijs offero ROSIS, plurimis TUÆ benevolentiæ ſignis devictus, ac devinctus. Jam pridem intra TUOS Penates, Palladem, intra domeſticos Lares Tullium admiſiſti, nunc, Ipſum Deum, erga omnes Prædeſtinatos liberaliſſimũ, contra univerſos reprobos juſtiſſimũ, Quem in ſua divina Eſſentia Unum, in Perſonis verò divinis Trinũ, lumine ſupernaturalis fidei, optimè illuſtratus, attigiſti, digneris in Conclave TUUM introducere, Magnaq; Illi Nomina exhibere, Qui ſua divina clementiâ, Illuſtriſſimos, Celſiſſimosq; ad tàm præcelſa ROSARUM, CAPELLARUMq; ARMA, ſublimia meritorum faſtigia, & Honorum culmina, SZEMBECIOS, deſtinavit. Maxima Theſium noſtrarum felicitas erit, ſi non infronte tantũ ſui, TE ſuum Mæcenatẽ præferent, ſed erudito quoq; TUO comprehendentur animo, & ita TUIS terentur manibus, ut ad mentem etiam, ſint in promptu. ALEXANDER es. Magno Major Alexandro, Magno ergo Nomini TUO, dedicatæ ac oblatæ Noſtrarum Theſium ROSÆ, ſub TUARUM firmiſſimo ROSARUM præſidio, Quæ meritis Triumphatrices Poloniarum Regnum; affectu, cunctorum animos, devinxerunt, rigidos inſonantium ex adverſo Aqui-

lones argumentorum, triumphabunt. Quod verò supereſt, eximiæ TUÆ beneficentiæ, Ordini Seraphico ſæpe ſæpiùs exhibitæ, Rhodijs altiores, debitæ gratitudinis erigent noſtri Minoritæ Obeliſcos, atq; ad pia propenſum vota Deum, ùt fundere ſolent, ſemper ſupplices fundent preces, ut Gentilitias ROSAS TUAS, ſemper faventibus foveat Eteſijs gratiarum, ut non adverſæ frigora fortunæ ſentiant, ſed Divinorum Zephyris chariſmatum delectatæ, Niveiſq; Sereniſſimi REGIS Galliarum LILIJS, feliciſſime colligatæ, perennem ſpirent odorem ſvavitatis, Bonorum omnium Largitorem Deum, preciosâ rectefactorum Coronâ cingant, ſerosq; poſt Neſtoris annos, immarceſcibilibus æternæ gloriæ ſertis, ab Eo, coronentur. Hoc eſt ſolicitum Seraphici Ordinis votum, hoc pium Almæ Provinciæ Obſervantis, Polono Lithvanæ deſiderium, hoc libenti, lubentiq; animo, ſupplex à Superis Illuſtriſſimæ ac Excellentiſſimæ DOMINATIONI VESTRÆ precatur.

Cliens devinctiſſimus, & Exorator obligatiſſimus, unà cum toto Studio Theologico, Generali Cracovienſi,

Frater FRANCISCUS BORZYKOWSKI,
Minorita indigniſſimus.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ,

Ex primo ſententiarum Libro deſumptæ,
Menti ſubtilis DOCTORIS, Venerabilis Servi DEI,

JOANNIS DUNS SCOTI CONSONÆ.

DE

PRÆDESTINATIONE.

I. PRædeſtinatio quoad rem, & quidditativè ſumpta, eſt voluntaria in DEO electio, Creaturæ intellectualis, ad æternam gloriam. II. Ipſa, non eſt eſſentialiter actus Intellectus Divini, ſed eſt actus voluntatis DEI. III. Eſt poſſibile, DEUM prædeſtinare ad gloriam, ex præviſis meritis. IV. Non repugnat etiam DEO, modus prædeſtinandi, ante præviſa merita. V. Probabilius tamen eſt, DEUM defacto, prædeſtinare ad gloriam electos, antè abſolutam præviſionem meritorum VI. Non repugnat, electionem ad gloriam, eſſe ante præviſa merita, quoad gradum gloriæ determinatum. VII. Non repugnat etiam, ſtante Dei decreto, ante præviſa merita, ad gloriam terminato, determinari gloriæ graduationem, ex præviſis meritis. VIII. De facto tamen, DEUS eligit gloriam in gradu determinato, ante præviſa merita. IX. Chriſtus Dominus meruit decretum executivum noſtræ gloriæ, ac meritorum. X. Non tamen meruit decretum Intentivum noſtræ gloriæ, per opera pœnalia. XI. Meruit electionem Prædeſtitnatorum per opera, non pænalia, oblata ſpecialiter

pro electis, non verò indifferenter. XII. Per eadem opera, meruit Angelis gratiam, & gloriam essentialem. XIII. Gloria in executione, seu consecuta, quoad omnia bona sua, tam essentialia, quám accidentalia, est effectus Prædestinationis. XIV Item, omnis gratia Prædestinatis collata, incipiendo à prima Justificatione, usque ad finalem cum gloria continuationem, etiam per peccatum interrupta, non solùm ut restituta, sed etiam, ut primo collata. XV. Item omnes vocationes, tam efficaces, quàm inefficaces, suo modo, sunt effectus Prædestinationis. XVI. Probabilius est, substantiam Prædestinati, esse prædestinationis effectum, non elicitũ, sed imperatum. XVII. Permissio peccati in electis, est effectus prædestinationis. XVIII. Nequit priùs intendi Pœnitentiâ ut sanativa peccati, quàm præintendatur peccatum. XIX. Ante prævisionem peccati, non permittit DEUS peccatum ex intentione Pœnitentiæ, ut conducentis ac utilis, ad ostensionem Omnipotentiæ DEI, & ad finalem perseverantiam, in gratia XX. Licèt ex Concilio Tridentino sessione 6. c. 12. contra Calvinum, nemo sciat se esse Prædestinatum, tamen, ex Divo Bernardo serm: 2. in Octava Paschæ, DEUS, notavit suos Electos aliquibûs signîs Prædestinationis, inter quæ, numeratur etiam, devotio singularis, erga B. V. MARIAM Veram DEI GENITRICEM.

DE REPROBATIONE.

I. DAtur in DEO, Reprobatio negativa, seu impropriè sumpta, distincta omninò à Reprobatione positiva, sumendo Reprobationem negativam, non pro negatione gloriæ absolutè, sed pro negatione Volitionis efficacis ad gloriam, an-

te

te merita, ita; ut idem sit, ac dicere: Non eligo te absolutè, antequam videam tua merita, nec te à gloria excludo positivè, ante tua demerita. II. Reprobatio Negativa, à gratia, absolutè non supponit Causam seu culpam, ex parte reprobi, maximè loquendo de negatione gratiæ, seu auxilij efficacis. III. De Reprobatione negativa, ad gloriam simpliciter, non habuit DEUS Voluntatem efficacem, negandi gloriam aliquibus ante prævisa eorum demerita. IV. Tam de facto quàm de possibili, non reprobat DEUS positivè, per modum pœnæ, ante prævisa demerita. V. Non reprobat etiam DEUS positivè ante prævisa demerita, excludendo homines à gloria, per modum beneficij indebiti sumpta. VI. Reprobatio positiva fit ex prævisо peccato finali, sivè originali, sivè personali. Neq; fit, ante prævisum peccatum finale personale, in adultis, præsertim illis, quibùs per Baptismum est originale deletum. VII. In sensu diviso Reprobationis, potest reprobus salvari, non tamen in sensu composito. Similiter in sensu diviso Prædestinationis, potest prædestinatus damnari, non verò in sensu composito. VIII. Si effectus Reprobationis, intelligatur esse ille, qui provenit ex efficaci intentione reprobandi, hoc modo, sola damnatio, est effectus Reprobationis, non verò ullum peccatum, vel ulla permissio ejus, est effectus rebrobationis, quæ est ex peccato finali, non verò ex fine præintento IX. Peccatum, nequit esse proprius Reprobationis effectus, cùm non sit DEI effectus. Et licèt unum peccatum, possit esse pœna peccati alterius præcedentis, tamen ista pœna, non est á DEO Volita, sed solum permissa. Nec DEUS permittit peccatum illud ex fine castigandi, nam aliàs vellet permissionem ejus ut inferentem peccatum, quod ta-

men repugnat DEO. X. Per positivam reprobationem, non est ablata potestas operandi bonum, & vitandi malum. XI. Non est tamen in potestate hominis, cum reprobatione negativa, ponere actu suam salutem. XII. Loquendo de Reprobatione negativa, permissio peccati prima, & subsequentes, possunt dici, aliquo modo effectus reprobationis negativæ, non ita tamen, ut Reprobatio negativa, inferat istas permissiones infallibiliter. XIII. Liber vitæ de quo habetur Apocalyp: 20. v. 15. est scientia Visionis, quam DEUS habet de omnibus Prædestinatis, quâ quicunq; à Deo nesciuntur, seu non cognoscuntur, infallibiliter damnabuntur.

DE SS. TRINITATE.

I. SAnctissimæ TRINITATIS Mysterium, non est rationi naturali contrarium. II. Ablata tamen fide Supernaturali, de hoc Mysterio, Si v. g. Gentilibus, nulla eiusdem fidei cognitione præditis, proponeretur ista quæstio: an DEUS, sit unus in Natura, & Trinus in Personis, realiter inter se distinctis? omnes negarent, licèt suam negativam sententiam nunquàm verè demonstrarent, & licèt facerent aliquas rationes, apparenter veras. Unde potest dici in aliquo sensu, hoc mysterium, esse contra rationem apparenter evidentem, vel contra evidenter probabilem. III. Nulllus absolutè Intellectus creatus, tàm Angelicus, quàm humanus, sivè conjunctus Corpori, sivè ab hoc separatus, potest ratione naturali evidenter demonstrare SS. TRINITATIS existentiam, ablata seu circumscripta omni revelatione Divina. IV. In Divinis Productiva potentia, sumpta pro virtute absoluta, est verum principium reale, non verò est sola non repugnantia Terminorum, seu Potentia Logica. V. Hæc

Po-

Potentia realis productiva, non dicitur productiva respectu Generationis activæ, sed solùm emanativa, respectu verò Filij producti, dicitur potentia illa productiva. VI. Idem dicendum est, de potentia productiva Spiritûs Sancti. VII. Potentia sumpta formaliter, nempè pro Relatione, in Divinis, non est potentia realis, sed rationis, et Logica, seu non repugnantia Terminorum, puraq; connexio eorum. VIII. Principium Quô productivum, sumptum pro potentia fundamentali reali, seu virtute absoluta producendi Filium, vel Spiritum S: non est relatio Paternitatis, vel spirationis activæ. IX. Principium Quô productivum formaliter, respectu Filij, est relatio dictionis, respectu verò Spiritûs S. est relatio spirationis activæ. X. Principium Quô productivum, non est aliquid coalescens, ex absoluto virtutis, & relatione. XI. Principium Quô productivum, respectu Filij, est memoria fœcunda, seu Essentia DEI, cum intellectu Divino. XII. Actio productiva VERBI DIVINI, quæ est dictio, non est formaliter Intellectio essentialis, secundùm se. XIII. Immò neq; ut connotans Paternitatem Divinam. XIV. Intellectio Divina, non est comprincipium Verbi Divini, sed sola memoria fœcunda, est Principium Quô Verbi Divini. XV. Creaturæ possibiles, non fœcundant Intellectum Divinum per se requisitum, ad productionem Verbi. XVI. Licét quoad suum esse formale, antecedant productionem Verbi, tamen Verbum non procedit quarto modo ex ipsis, habentibus se, tanquam objectum terminativum, in memoria Patris. XVII. Natura Divina, non movet Intellectum DEI primo & per se, ad hoc, ut Verbum exprimat essentialiter Creaturas, sivè Creaturæ possibiles, antecedant productionem Verbi,

sivè non antecedant eam. XVIII. Loquendo concomitanter, & materialiter, VERBUM DIVINUM procedit ex omnibus, quæ sunt in memoria Patris. XIX. Non procedit per se quarto modo, Verbum ex cognitione, ut terminata ad Creaturas possibiles XX. Non procedit etiam, quoad suam Entitatem intrinsecam, per se quarto modo, ex cognitione futurorū. XXI. Neq; procedit quoad suum esse primarium ex cognitione, ut terminata ad attributa. XXII. Si est vera sententia Mastry, & Frassen, dicentium: quod Cognitio intuitiva Spiritûs S. existentis in se, ac præsentis propriâ existentiâ, præcedat productionem Verbi, tunc etiã verum erit dicere; cognitionem terminatam ad possibilia & futura, præcedere productionem Verbi. XXIII. In illo signo, in quo concipitur hic DEVS subsistens antecedenter ad Relationes, cognitio Divina, cognoscit, quidquid est in illo signo. XXIV. Non cognoscit verò pro tũc Relationes, quia pro illo signo nõ sũt cognoscibiles, & ideò nullam cognoscit formalitatem, nisi dum est illa formalitas. In signo tamen sequente, in quo est Pater, cognoscit Patrem. XXV. In illo signo, in quo producitur Verbum, non cognoscuntur Divinæ Relationes, aut Personæ, abstractivè, vel quasi abstractivè. XXVI. Neq; cognoscitur Pater, aut Filius, aut Spiritus S. in Essentia Divina intuitivè, pro signo antecedente, antequam sint. XXVII. Sola distinctio Virtualis intrinseca, seu realis virtualiter, autrationis fundamentalis, non sufficit ad verificanda cõtradictoria prædicata, in Divinis reperta, sine aliqua non identitate, immò est impossibilis XXVIII. Scotus nunquam intendit aliquam distinctionem, vel minimam, quæ propriè participet rationem distinctionis realis, vel dualitatem, vel propriam multiplicitatem formalitatũ, adstruere in Divinis. XXIX. Inter prædicata Naturæ Divinæ, ac Relationum Divinarum, nulla prorsus datur distinctio propria, licèt minima. XXX. Datur tamen, inter Essentiam Divinam, & Paternitatem, identitas non formalis ita, ut Paternitas sit quid idẽ absolutè, cum Essentia Dei, non tamen in primo modo dicendi per se. XXXI. Ex hac non Identitate formali, nulla sequitur distinctio propria. XXXII. Potest Intellectus cognoscere cũ fundamẽto in re, Dei Essentiam non esse Paternitatẽ formaliter. XXXIII. Essentia Dei, distingvitur à Paternitate distinctione rationis, cum fundamento in re, præcisivé. XXXIV Nequit tamen Intellectus, cum fundamento in re, facere distinctionem rationis negati-

gativam, inter Essentiam Dei, & Paternitatẽ. XXXV. Relationes Divinæ, ut sunt quid non idẽ formaliter cum Essentia Dei, ac secũdùm suũ formalẽ cõceptũ, sunt formaliter infinitæ. XXXVI. Vt sunt quid formaliter non idem, cum Essentia Dei, non dicunt perfectionem simpliciter simplicẽ. XXXVII. Ipsis tamen formaliter sumptis, neqveunt negari, perfectiones entitativæ seu transcẽdentales, quales sunt, Veritas terminativa, bonitas, unitas, seu integritas prædicatorũ, & aliæ similes. XXXVIII. Æqualẽ, simile, ac idem, formaliter sumpta, ut dicuntur de Personis Divinis, non consistũt in absoluto, sed in Relativo. XXXIX. Relationes Identitatis, similitudinis & æqualitatis, inter Personas Divinas, sunt reales, non verò rationis. XL. Relatio oppositionis, fundata in Personis Divinis, & Relationibus originis, est realis. XLI. Non fundatur super Relationes originis, aliqua relatio realis, æqualitatis, vel similitudinis, aut inæqualitatis, vel dissimilitudinis XLII. Persona non significat formaliter secundam Intentionẽ rationis, sed est nomen primæ intentionis. XLIII. Entitas positiva incommunicabilis, quæ reperitur in Personis Divinis, facitq; unã ab alia primò distingui, est Relatio originis, v. g. in Patre, Paternitas, quæ simul est aptitudo formalis ad generandum, & generatio, & forma hypostatica. XLIV. Inde Personæ Divinæ cõstituuntur formaliter relationibꝰ, ut prædicatis primò distinctivis, loquẽdo realiter. XLV. Opinio asserẽs, Personas Divinas constitui per absolutũ, non est hæretica nec est cõtra scripturã, & Patres, nec est impossibilis, imò nec potest negari, probabilitas ejus intrinseca. XLVI. Si subsistentia creata consistat in Negativo, nempè in negatione communicationis actualis, & aptitudinalis, tunc subsistentia absoluta, in Natura Divina, ut præintellecta Personalitatibus Divinis, omninò est neganda. XLVII. Si verò Personalitas Creatą, consistat in positivo, ut probabiliùs tenet Scotus, tunc Natura Divina pro priori ad Relationes Divinas, habet subsistentiam absolutam, quâ caret natura humana, pro priori ad personalitatem. XLVIII. In Divinis, non solùm dantur tres Personæ subsistentes, sed etiam tres Relativæ subsistẽtiæ. XLIX. Pater æternus, impropriè sumptus, pro illo priori, antequàm intelligatur habere generationem Verbi, est perfectè beatus, cognitione, & amore. L. Propriè quoq; sumptus, pro prima Persona Trinitatis specificativè accepta, est perfectè beatus, antequàm generet Filium. LI. Verbum in Divinis, de rigore sermo-

nis, est Nomen Notionale, conveniens per se primo, ac in recto, secundæ Personæ tantùm, & ita significans proprietatem Personalem, connotativè autem, intellectionẽ, seu notitiam. LII. Sumptum inadæquatè, seu pro connotato, dicitur essentialiter LIII. Horum Nominum, Verbi, & Filij, formale significatum, est omninò idem, licet materiale significatum, sit diversum, LIV. Si processio, seu productio realis Personæ Secundæ, consideretur præcisè, in ratione processionis, per intellectum, seu dictionis, Persona secunda, magis propriè, nominatur Verbum, quàm Filius, si verò consideretur, in ratione Generationis, per modum naturæ, Persona Secunda, magis propriè appellatur Filius, quàm Verbum LV. Vltra Terminum totalem Divinæ generationis, in Divinis, datur etiam Terminus formalis. LVI. Terminus formalis Divinæ generationis, non est Relatio, sed generationis Divinæ, ùt est generatio, Terminus formalis, est Essentia Divina, ùt verò Divina generatio est productio, Terminus ejus formalis est cognitio, ita; ut ex vi productionis. ùt est generatio, evadat Filius, ex vi verò productionis, ut est dictio, evadat Verbũ. LVII. Absolutè dicendum est, Productiones in Divinis, esse univocas, idq; sivè Terminus generationis, sit sola cognitio, spirationis verò Volitio, sivè sola Essentia, sivè utrumq; simul. LVIII. Est de fide, Spiritũ S. procedere immediatè à Filio. LIX. Si consequens istud, Spiritus S. qui de facto datur, non distinguitur à Filio, inferatur ad hominem, contra Græcos, ex ipsorum principio, seu ex illo antecedente ipsorum; Spiritus S. non procedit à Filio, male infertur. LX. Ex illo antecedente Græcorũ; Spiritus S. non procedit à Filio, non infertur, istud consequens, ergo distinguitur realiter à Filio, idq; sivè arguatur ad hominem, contra Græcos, sivè arguatur absolutè, sumendo rationes aliunde. LXI. Est de fide, non esse conditionem necessariò requisitam, ad spirandum, ut spirator sit una tantùm Persona LXII. Spiritus S. non procedit per amorem, sed per activam spirationem. LXIII. Non procedit quoq; ex voluntate fœcundata Essentiâ Divinâ, ùt motivâ ad amorẽ duarum Personarum Patris & Filij, loquẽdo per se, in 4to modo LXIV. Attendendo ad ordinẽ Potentiarum, Intellectûs & Voluntatis, in producendo, Spiritûs S. ita necessariò supponit productionem Verbi, ut si priùs non procederet Verbum, per intellectum, etiam Spiritus S. non procederet, per Voluntatem.

LXV.

LXV. Virtus, & Principium ſpirativum Quò, nempè Voluntas fœcunda non habet pro ſuo eſſentiali complemento Paternitatẽ, & Filiationem, ſed Virtus adæquata, Quâ, eſt Voluntas fœcunda, in ſuppoſito conveniente, & ſpiratio, eſt actio productiva LXVI. Spiritus S. ratione ſuæ proprietatis Perſonalis, non petit per ſe, pluralitatem ſuppoſitorum in Principio ſpirante. LXVII. Et ideo loquẽdo de ratione formali originis, Iſte Spiritus S. qui de factò datur, non petit ab intrinſeco, procedere à duobus. LXVIII. Eſt de fide, Spiritum S. produci neceſſariò, neceſſitate oppoſita contingentiæ, nempè neceſſitate immutabilitatis, & inevitabilitatis, non verò oppoſita ſpontaneitati, procedit enim neceſſariò, non neceſſitate coactionis, nec violenter, ſed ſummè complacenter. LXIX. Iuxta principia Divi THOMÆ, Spiritus S. non procedit naturaliter, ſeu per modum Naturæ, ſed procedit liberè. LXX. Etſi Voluntas conſideretur ùt natura, & ùt libertas, tamen Spiritus S. non procedit, à voluntate ùt natura eſt. LXXI. Etſi probabiliùs ſit, libertatem ut ſic, ſeu eſſentialem, conſiſtere, in indifferentia ad utrumlibet, adhuc tamen Spiritus S. procedit liberè. LXXII. Conſequenter licet Spiritus S. procedat neceſſariò, tamen ſtat benè, quod procedat liberè, libertate contradictionis. LXXIII. Spiritui S. ex vi proceſſionis, communicatur amor. LXXIV. Sicut ex vi proceſſionis, ſeu productionis, communicatur cognitio, Filio Divino. LXXV. Sumptô tamen Terminô formali, pro eo quod priùs, prioritate originis communicatur, in executione, ſic Divina Eſſentia, eſt formalis Terminus, in productione Spiritûs Sancti. LXXVI. Et ſimiliter in productione FILII Divini.

Ad M. D. G. B. V. M. I. C. & OO. SS. cultum DEBITUM.

Diſputabuntur publicè, in Conventu Cuſtodiali Cracovienſi, ad S. BERNARDINVM, eas propugnante V. P. F. Erasmo Suski, *Auditore Sacræ Theologiæ Generali conſummato, cum aſſiſtentia* P. F. FRANCISCI BORZYKOWSKI, *ejuſdem qui ſupra.*

Annô Domini 1726. die Menſis Maij.